

Ms. 59.5.

PROLUSIO SECUNDA^a
DE
EVIDENTIA CRITICA
AD SACRAS LITTERAS REFERENDA

QUA
LUSTRATIONIS SCHOLASTICÆ
SOLEMNIA
JUSSU ET AUCTORITATE
VENERANDI CONSISTORII

A. D. XI. CAL. MAJ. M D CCLXVIII.
HORA LOCOQUE CONSUETIS
PUBLICÉ CELEBRANDA,
EA, QUÀ DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE

INDICIT
JOH. GEORGIUS PURMANNUS
GYMNASII RECTOR ADJUNCTUS.


FRANCOFURTI AD MOENUM
EXCUDEBAT HENRICUS BAYRHOFER.

SCALIGER

in Jambis gnomicis. n. 21.

Ne curiosus quære caußas omnium,
Quæcunque libris vis prophetarum indidit
Afflato cœlo, plena veraci Deo;

Nec operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed pudenter præteri.
Nescire velle, quæ Magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.



בשׁ

§. I.



ui ipsi veræ religionis expertes, alios in castra sua adlectos, amicos sibi iungere gestiunt, si fidei Christianorum infesta arma aperte inferant, consilia sua sibi minus prospere successura vident, aliosque, quos decipiendos sumerunt, fraude conspecta, sibi cauere, intelligunt; mille hinc *μεθοδειας* vtuntur, quibus, incertitudinis seminibus sparsis, illis, quibus parum acuta est mentis acies, occultas struant insidias. Nil ipsis tam firmum ac stabile videtur, quod aut machinis aut cuniculis suis non deiici posse putent; verum tantum abest, vt veritatis contemtores illusoresque videri velint, vt potius sincerae doctrinæ amorem simulantes, honestam induant faciem, honorifice de rebus sanctioribus loquantur, incautisque retia ponant, quæ hi non ante vident, quam se captos sentiunt. Hi erunt fere, qui vndique adreptis dubitatiunculis, varias quæstiones mouent, quibus nisi ex mente sua respondeatur, omne veritatis robur eneruare adlaborant.

Hinc alios dubitare quidem, at nescire videmus

Cur dubitent —— tantum potuit suadere libido. (a)

Mirificam sane quorundam hominum orationem, qui ex veritatum serie omnes difficultates, omnia *λυσοντα* remouenda esse, nec ante certitudinem locum habere posse clamitant, quam ea omnia funditus sublata sint! Non id quidem agunt, vt *λυσοντος* remotis, viam expeditiorem reddant,

A 2

sed

(a) POLIGNAC in Anti-Lucretio. L. I. v. 12.

sed adrepta mouendi dubitationes occasione, ea peruerunt, sibique ipsi sunt perniciei. (b) Hi si didicerint, supra humanam sortem euentum esse debere, qui omnes, in quos incidere possit, nodos soluere conetur, nec homini datum esse, vt omnes veritatum connexiones perspectas habeat; nec adeo præcipites rerum iudices forent, nec, cum rem quamplam offendunt, cuius modum rationemque non intelligunt, inter aniles fabulas eam referendam esse, temere censerent. Veritas firmis innixa fundamentis, mole sua stat, nec ei quidquam obest, cum quædam oboriuntur dubia, quæ licet a nobis solui semper non possint, eam tamen loco suo non deturbant. Veritatis autem diuinitus manifestatae inimici, cum eius fundamenta euertere posse desperant, eam ineunt viam, vt non quidem directa acie pugnant, sed tamen dubiis quibusdam se pungi querantur, quæstiones moueant, rogent alios, vt eas soluant, & antequam responsum audiant, iam in animo habeant, quod regerant. Hac ratione in primis usus est B O L I N G B R O K I U S, cuius in superiori prolatione $\omega\epsilon\pi\alpha\varphi\omega\lambda\omega$ mentionem fecimus. Hic enim, vt christianæ religioni omnia, quibus defendi potest, præsidia subtrahat, omnia sollicite colligit dubia, quibus sanctorum litterarum fidem sublestant facere possit. Probe scilicet intelligit vir alioquin acutus, ex historia sacra fortissimis armis petitis, profanarum mentium studia nequicquam opponi. In ipsa igitur hæc fundamenta impetu facto, historiam Judæorum, sanctoribus litteris comprehensam, falsitatis arguit, ipsosque libros diuinos, e quibus ea hauritur, ita esse corruptos, mutilatos & adulteratos, ait, vt nullus liber, cui quidem homines communi quodam consilio auctoritatem dignitatemque tribuerint, ad tam prauam peruererit conditionem; bodie enim, dicere non erubescit, cum ignarissimis ignorari, a quibus isti libri scripsi, quo tempore euulgati, qua ratione compositi, conseruati aut renouati fuerint, & hæc ad hunc usque diem largam litium facere segetem. (c)

Cui

(b) 2 Petr. III. 16.

(c) in epistolis ad studium historicum pertinentibus, in quarum tertia virus suum in religionem christianam vehementissime effudit. Eandem cantilenam multi recentiorum canunt, nil aliud fere agentes, quam vt cramben centies recitam adponant, LELANDUS, Anglus, fortissime contra eos pugnat in dem Abriss deutscher Schrifftten.

Cui vero hominum generi istiusmodi quæstiones scrupulum iniiciunt, nisi illis, quibus partium studio ductis, nil, quod diuinam reuelationem redoleat, placet? Sæpen numero quidem accedit, vt cum omnes perreptamus angulos, omniaque, quæ certitudini cognitionis officere posse videntur, ea mente anquirimus, vt, quid in eis sit falsi, intelligamus, haud raro cum Demiphone Terentiano multo incertiores fiamus, quam dudum, & dum nunquam ignorantiam fateri volumus, nobis tandem opiniones oborientur, quibus nullum sal inest. Præstat igitur, inquit b. R A M-B A C H I U S, ad $\epsilon\pi\omega\chi\nu$ configere, quam incertis indulgere conieeturis, aut eas fingere rerum circumstantias, quas si legeret scriptor sacer, exclamaret fortasse, quod de Platone, dialogum de se consribente, Socrates dixisse fertur: O quam multa iuuenis ille de me mentitur. (d)

§. II.

Sed, inquieris, hac ratione exalciatae doctrinæ & solidæ eruditio*n*i, ad cuius funus pollinctores & tibicines iam vocari videmus, via occluditur, atque omnibus ad maiorum arbitrium auctis, de incrementis scientiarum non bene sperare licet? Minime gentium; nemo enim, nisi cui caput tribus Anticyris insanabile est, turpem illam & affectatam ignorantiam, qua, quæ scire & poteramus & debebamus, ignoramus, encomio dignam iudicabit. Est quædam laudabilis sciendi cupido, quæ non facile restingu*p*otest, & nisi quis plenis hauſtibus totam fere scientiam imbibet, nunquam fere non inquietus de veritatum & scientiarum sorte queretur. Sunt tamen & hic certi fines, quos vltra citraque rectum considerare nequit, quique eorum probe sunt memores, ab vtraque parte Scyllam & Charybdim, ignorantiam dico, &, omnia sciendi pruriginem, tuti euitabunt. Quæ cum vbiq*ue* vera sunt, tum in primis in rebus, quæ ad artem criticam pertinent, eorum maxima habenda est ratio, si ad genuinam earum evidentiam pertingere velimus. Quum igitur, vti supra dictum est, Sacræ Scripturæ hostes, quorum & hodie non parvus est numerus, ea de cauſa sententiæ nostræ adſensum denegant, quia non certo

A 3

(d) in commentatione de idoneo sacrarum litterarum interprete pag. 58. & 150.

certo definiri queat, qua ratione libri isti a suis auctoriis ad posteriorum venissent usus, non abs re alienum facturos nos esse arbitramur, si euidentiam criticam in eo quoque stabiliamus, vt modum rationemque ostendamus, qua ab *αυτογραφοις* exempla descripta, non in manus solum eorum, qui ea aetate vixerunt, sed in usum quoque sequentium seculorum peruenient. Non tam mihi quidem sum Suffenus, vt in re tam antiqua & tam multis obnoxia difficultatibus, omnia ad vnguem resectum diiudicari posse putem; sed monente Cel. MOSHEMIO, (e) plura scire nolumus, quam scire licet, prudentemque in rebus caligine quadam obductis tarditatem eruditae temeritati longe anteponemus. Faxit Deus feliciter!

§. III.

Quæ Deus populo suo inde a MOSE ad MALACHIAM usque dedit scripta Θεοπνευστα, omnibus seculis, tanquam infallibilis regula ac sacrosancta fidei omnium Israëlitarum norma, cui, vt indubio Dei verbo, tuto vnice adhærerent, sollicite conseruata fuerunt. Libros quidem Mosaicos ipse hic scriptor diuinus testatur in arca foederis depositos, Judæis in testimonium mansisse, (f) qua re, velut efficacissimo contra omnium vitiorum colluuiem anditoto, populum suum præmunire voluit. Ex hoc *αυτογραφω* futurus rex Israëlitarum aliud exemplum describere iubetur. (g) Sunt quidem, qui per *תורה הנשׁה* qua voce MOSES hic vtitur, non omnem Pentateuchum, sed eius librum tantum quintum intelligi putant, eo, quod totius legis præcepta pleraque omnia eo contineantur, & libellus magnitudine exigua commodissimus sit, quem quis secum portet. (h) Alii deriuationis huius vocis a verbo *טוֹשׁ* quod iterandi notionem inuoluit, habita ratione, duo regi exemplaria describenda fuisse putant; alterum, quod secum ferret, quocunque iret, alterum, quod relinqueretur in eius gazo-

(e) in præfatione *institutionibus historiae christiana majoribus seculi primi præmissa.*

(f) Deuter. XXXI. 26.

(g) Deuter. XVII. 18. coll. Jos. VIII. 32.

(h) Hanc sententiam præter alios tuetur ABARBANEL, cuius verba hoc spectantia citat FRISCHMUTHIUS, in dissertatione *de rege Judæorum eligendo* §. 33.

gazophylacio. (i) Sed quid opus est, ad tantas ambages confugere, circumstantiasque fingere, quarum in sacris litteris nulla prostant documenta? Quid impedit, quo minus, nativa vocis significatione retenta, משנה התורה per exemplar, quod literata quasi scriptione gignitur, explicemus, ita, ut Rex non ex quolibet forte obuio exemplari, sed ex ipso αυτογραφῳ MOSIS, a Leuitis in arca sacra custodiri solito, describere exemplum iubeatur? In consecratione regis librum legis, tanquam publicum monumentum, cum coronae impositione vocationisque peractione, propositum fuisse, JOASI exemplum comprobat. 2 Reg. XI, 12. Plures igitur ex hoc purissimo fonte promanarunt riuali, quibus usus verbi diuini ad alios deferri potuit. Et certe extiterunt iam olim viri, qui sibi legem multo studio describendam curarunt. Sunt quidem, qui, cum Josiae tempore sacer codex diu amissus, a sacerdote HILKIA protractus commemoratur, (k) eum adeo neglectum fuisse, putant, ut velut hic unus et multis superstes fuerit. Sed quis sibi persuadere poterit, HISKIAM, cuius tam diuturnum fuit regnum, huius rei nullam gessisse curam? quis cogitando adsequi potest, JEREMIAM, ZEPHANIAM, ac prophetem HULDAM, tunc temporis viuentes, usu sacrarum litterarum prorsus caruisse? Proxime igitur ad veritatem nobis accedere videntur, qui codicem istum eundem fuisse, qui ipsius MOSIS manu exaratus fuerat, quique, cum templum idololatria aliisque flagitiis pollutum esset, e loco, ubi adseruari consueuerat, id est, e sacrario, remotus, ac in alium quendam translatus fuerat. Si enim HILKIAS codicem in parte templi sanctissima, aut arca federis inuenisset, vix admirationi locus fuisse videtur. Illud igitur αυτογραφὸν Mosis per aliquod temporis interualium amissum, iterum in lucem protractum est. Varia nobis commenta Rabbini veteres, pro more suo, narrant; aliis codicem hunc muro aut contignationibus templi, ne ab Achaso combureretur, inclusum fuisse,

per-

- (i) Præter SALOMONEM BEN MELECH in tractatu biblico, qui ממלְוִי inscribitur, ad h. l. hanc sententiam amplexus est SCHICKHARDUS, Libri de iure regio Ebraeorum cap. secundo inquiens, rex bina describere tenet exemplaria.
- (k) 2 Paralip. XXXIV. 14. sqq. ad quem locum, præter FRISCHMUTHIUM iam nominatum, consule BUDDEUM, in historia ecclesiastica Vet. Test. Tom. II. pag. 447.

perhibentibus, aliis eum inter rudera & quisquilias iacuisse adserentibus, aliis aliam rationem adserentibus. Quidquid autem huius rei sit, vsum quidem sacri codicis admodum neglectum fuisse, intelligitur, cum & MANASSE ac AMMON reges, & multi sacerdotes, regum exemplum fecuti, nullam eius haberent curam. Hinc tamen inferre non licet, nec alibi exemplorum sacri codicis fuisse copiam. Fuit scilicet apud Ebræos genus quoddam hominum, quos סְפָרִים scribas vocarunt, qui busque ad consignandas litteras publicas, siue religiosas siue ciuiles, vbi sunt. Non insimæ dignitatis fuerunt isti homines; perpaucis enim arte scribendi priscis illis temporibus instructis, illi, qui animum ad scribendum adpulerunt, e reliquorum hominum turba quasi segregati, in primorum ciuitatis numero habiti sunt. Sacrae litteræ quorundam horum scribarum faciunt mentionem, eosque summis in gente Ebræa viris æquiparant. Sic SEB-NAM, SAPHANUM, & SEMAJAM scribas, interiorum regum consiliorum participes, (l) ZADOCKUM, thesauro præfectum, legimus; (m) quis ESRÆ, scribæ, sacerdotis, & vniuersi populi doctoris, summam inter Judæos auctoritatem nescit? (n) Pari modo apud cæteras quoque orientis gentes fuisse, ab auctoribus passim docemur. EUME-NEM, magnum illum virum, PHILIPPUS, Macedonia rex, scribæ loco habuit, ad quod officium nemo admissus est, nisi honesto loco, & fide & industria cognita. (o) Hinc apud Ebræos quoque mos inualuit, vt summis eos non solum laudum titulis ornarent, sed hoc ipso nomine significanter Sapientes, qui specialiori compellatione רַבִּים Rabbini, Magistri, Doctores vocabantur. (p) Custodes præterea erant scriptorum publicorum, eaque in tabularia & indices referebant; disceptatores rerum ad

(l) 2 Reg. XIX. 2. XXII. 3. 2 Paralip. XXV. 6.

(m) Nehemia XIII. 13.

(n) Estra VII. 11. aliisque huius libri locis, vbi singularibus ad hanc rem pertinentibus encomiis mactatur.

(o) Nepos in eius vita cap. I. quo ex loco, si cum FESTI explicatione contuleris, patet, sequiore tempore aliam scribarum Romæ conditionem fuisse, atque olim, cum iidem fuerint, qui Poëtæ, quorum antiquis illis temporibus honorifica erant munia. vid. *Auctores Latinae linguae in unum redacti corpus a GODOFREDO.* pag.

205 & 429.

(p) BUXTORFF in Lexico Talmudico, sub voce סְפָרִים

(* *)

ad religionem pertinentium, quæsitores criminum, vna cum Pontificibus & Senioribus, ac apud Judæos velut eadem fuerunt existimatione, qua apud Græcos philosophi. (q) Eorum igitur erat, omnia ad veritatis lancem exigere, sive in codicibus sacris describendis & examinandis, sive in aliis rebus excutiendis versarentur. Ea de cauſa & ipſe MOSES a quibusdam Rabbinis hoc nomine maſtatur, nec raro Ebraeorum vox נבִיא ρ redditur, (r) Communis inde nata est loquendi consuetudo, qua quemlibet eruditum hoc nomine insignirent. Duplici autem Ebraeorum scribas functos officio esse, intelligimus, altero politico, quo iidem fuerunt, qui hodie Cancellariorum, Secretariorum aut Actuariorum publicorum munia obeunt; (s) altero religioso, quo multiplici scientia instructi, docendi munere fungebantur, scripturas interpretabantur, consulentibusque responſa dabant. Illis omnissimis, his paullo adhuc immorabitur, eosque in describendos libros Mosaicos, iam ante obsignatum canonem, præcipuam operam collocasse, euictum dare studebimus. Legis a MOSE conscriptæ lectionem magnam sacrorum publicorum Ebraæ gentis constituisse partem, ex indubii testi moniis adparet. (t) Statim cum MOSE mortuo JOSUÆ gubernandi populi prouinciam naethus esset, crebriorem legis lectionem instituere a Deo iussus erat. Αὐτογένεφω MOSIS autem in arca foederis recondito, ut supra dictum est, iussui diuino morem gerere non potuisset, nisi exemplum sibi describendum curasset, quod diurna nocturnaque manu versandum, viam

B

ratio-

(q) Colligimus hoc ex 1 Cor. I. 20, vbi Apostolus ad Jes. XXXIII. 18. respicere videtur. vid. WOLFFII *cure philologicæ* ad locum priorem, & VITRINGA in *commentario Esaïæ ad posteriorem locum.* Ita autem ille, SURENHUSII iudicium fecutus inquit: Apostolus vocem סְפִיר per σοφον conuerſit, ac si scriptum fuerit חָכְמָה i. e. sapiens, cum סְפִיר & חָכְמָה sint synonyma nec quisquam esse possit, nisi sit חָכְמָה.

(r) Paraphrastes chaldaicus cantici canticorum his vtitur verbis: בִּידָהִ רַמְשָׁה סְפָרָא רַבָּא per manum Mosis, scribz magni. vid. BUXTORFFI *Biblia Rabbinica ad Cant. I. 1 & 2.*

(s) De his consuli possunt FESSELIUS in aduersariis sacris Tom. I. L. 1. c. 1. SPANHEMIUS dubiorum Evangel. Part. II. dub. 38. HOTTINGER US in the sauro philologico L. I. c. 1. pag. 47.

(t) Ex tam multis adnotabimus tantum Nehem. VIII. 1. 3. 5. 18. Act. XV. 21.

rationemque ostenderet, qua in inceptis prospere exequendis vteretur. Eadem post ratio inualuit, vt studium legendæ legis omnibus sedulo exercendum commendatum fuerit. Quum igitur hostibus deuictis tranquillitate fruerentur Judæi, quiuis paterfamilias legem scriptam domi suæ habere tenebatur. Qui scribendi artem callebant, ipsi quidem sibi exempla descripserunt, sed ne forte sphalmata irrepererent, sacerdotes & scribæ adeundi erant, qui collatis genuinis codicibus, inquirerent, num omnia ad amus- sim sint descripta, an vero vitia quædam irrepserint, quorum numerus, si ultra quaternarium adscenderet, librum prorsus reiiciendum reddebat, nec ad aliquem usum adhibendum. Post absolutam sc̄riptionem intra triginta dierum spatium liber ad scribas ac sacerdotes deferendus erat, vt viderent, an omnia rite sese habeant. Quodsi vero quis scribendi arte destitueretur, liber legis recens descriptus erat emendus, nec, licet ad aliquem hereditate esset deuolutus, officio scribendæ legis erat immunis, sed potius, vt sibi eius recens descriptæ fieret copia, curam gerere debuit. (u) Mature igitur plurium exemplorum Pentateuchi volumina in vulgus exhibant, in quibus describendis, vti iam diximus, summam adhibuerunt curam, ne sphalmata irrepererent. An vero sollicitudinem rite describendæ legis ad tantam *αρχέων* produixerint, qua Judæi recentiores ad superstitionem usque ytuntur, vix verosimile videtur. Rabbini enim, a tempore perfecti operis Talmudici, satis verbosi sunt in describendis conditionibus, quæ in libro legis publice legendo desiderantur: sollicite enim inquirunt, quo in pergameno, quomodo preparato, ex quibus bestiis confecto, a quibus, scribi beat, quod spatium inter litteras & lineas sit relinquendum, quot litteræ in linea, quot lineæ in pagina esse, quæ distinctiones in duas diuidi, quæ diuisæ in unum coniungi debeant, & quæ sunt eiusmodi cautiones aliae, quarum si una absit, liber habetur *ל'ס* siue publico iniutilis. Adeo & hodie hoc genus est *Διυλίζον τον κωνόπα, την δε καμπλον καταπινον.* (x) Ingenuam potius simplicitatem, legibus tamen aliis, præfertim

(u) Auctores, qui harum rerum omnium testes producunt, citat LUNDIUS in den iüdischen Heiligthümern L. IV. cap. 17. pag. 562.

(x) Plura, de cura Judæorum in describendis libris sacræ cultui publico destinatis adhibita, videbis in VITRINGÆ libro de synagoge Veteræ L. I. P. I. cap. 10. pag. 200. cui adde WAGENSEILII Sota pag. 367.

ertim puritatem ac integratatem concernentibus, non repugnantem, prisci illi librarii secuti videntur. Officium ergo eorum eo potissimum rediit, vt vel describendis libris sacris, aut descriptis corrigendis, aut variis exemplaribus conferendis, occuparentur. Inde eos ipso *Criticorum* munere functos adparet, dum quæ hodie ab his peraguntur munia, eo tempore Scribis tribuebantur .Occurrunt etiam apud antiquitatis Ebraicæ scriptores, voces quædam, in quibus explicandis, licet interpres multis parafangis a se inuicem discedant, in eo tamen dubitationi nullus relinquitur locus, quod ex ad ipsos Criticos pertinuerint. Sunt ex ומקרא והספרים Non eadem est ipsorum Rabbinorum hac de re sententia, in varias partes, pro more suo, sese versantium. Plerique tamen in eo consentiant, fuisse modum quendam legendi singulas voces, & totum contextum sacræ scripturæ, quem tradiderunt scribæ, id est, legis periti & critici, v.g. vbi sit legendum אֶרְצָה aut שָׁמַיִם & non שָׁמַיִם (y) Et hac demum ratione iis, qui hanc scribendi artem callebant, non solum regi, sed illis etiam, quorum scripta diuina nosse intererat --- & cuius veræ salutis cupidi non intererat? operam suam collocantibus, Pentateuchi exempla ad plures peruererunt.

§. IV.

Præter libros Mosaicos Deus quoque nunciis, extra ordinem missis, ad populum instruendum vsus est. Prophetas dico, qui per omnes ecclesiæ Judaicæ periodos verba diuina & ore & scriptis prolata, ad populum retulerunt. Inter alia Deus ESAI A M iussit characteres populi degeneris in libro consignare, in memoriam posteritatis, vt ad extrema vsque mundi tempora, tum fidelis Dei erga populum suum prouidentiæ, tum obstinatæ eorum prauitatis monumento sint. In tabula igitur, quæ ante oculos omnium Judæorum publice esset exponenda, propheta orationem conscribere iussus est. (z) Nostrum non est disquirere, istæ tabulæ e lapidibus, ære, plumbo, foliis & corticibus arborum, an pellibus & membranis in scribendi usum paratis & papyro Ægyptiaca, aliaue idonea materia, conseclæ fuerint; dum omnes hi scribendi modi eo tempore usu

B 2

recepti

(y) Buxtorff l. c. voce עטפֵר

(z) Esaiæ XXX. 8.

recepti fuerunt. Id modo obseruatione nostra non indignum iudicamus, quod in consignandis vaticiniis duplēm ingressi fuerint viam. Breuiora scilicet tabulis inscripta proposuerunt, vt ea quiuis præteriens legere possit; longiora vero voluminibus complectebantur. Non dubitaueris, si expenderis historiam integrā J E R E M I Ā Baruchō dictando præeūntis reuelationem diuinitus sibi factam, & B A R U C H I eandem calamo excipientis & scribentis סִפְרַת כָּמִילָה in volumine Libri, & quidem, vt ipse Baruchus retulit ad proceres, atramento. (a) Vaticinia ergo hoc vel illo modo consignata, ad valueas templi adpenderunt, quæ si per aliquod tempus, donec ab omnibus transeuntibus legerentur, publice exposita fuerunt, ab antistite templi, ne iniuriam aëris paterentur, demta & in tabularia reposita videntur, quorum curam scribæ, de quibus paullo ante diximus, gesserunt. Alii quidem prophetas scripta sua ad ædes suas populo prælegisse putant, more Romano, vt ita credant, inducti, apud quos Pontifex maximus, quæ singulis annis gesta fuerunt, in annales retulit, populoque eorum legendorum potestatem fecit. Sed antiquiores populi Judaici res ex Romanorum institutis explicare, non adeo ad rem mihi facere videtur. Alia vero hic nascitur quæstio, maioris momenti altiorisque indaginis, qua scilicet ratione factum fuerit, vt scripta Mosaica & prophetarum, tam longo temporis interuallo inter se distantia, tandem in unum corpus redacta fuerint. Non defuerunt scilicet, ab excessu MOSIS ex hac vita ad captiuitatem usque Babyloniam, viri, diuino adflati spiritu, qui scripta ex diuina inspiratione profecta in sacros vsus dedicarunt, & in sacrarium reposuerunt. JOSUA quidem omnia, quæ ab se gesta erant, in librum legis, id est, in canonem, retulisse dicitur, lapidemque in testimonium erexit; (b) item Samuel, electione regis Sauli peracta, populo non solum ius regni proposuisse, sed in libro etiam scripsisse, ac coram Jehoua deposuisse commemoratur, (c) quæ omnia publicæ consecrationis signa erant. Quid de Psalmis dicemus? Plures fuisse eorum auctores, rite subductis rationibus, dubitari nequit. Talmudici quidem doctores, qui, vbi alii mortales vix submissa oratione loqui audent, alta voce clamitant, numerum & nomina eorum

(a) Jerem. XXXVI. 2. sq.

(b) Josuæ XXIV. 26.

(c) 1 Sam. X. 25.

eorum ita definiunt, vt, si modo effatorum proferrent argumenta, nulli dubitationi relinqueretur locus. Sed qui rationibus, non vero coniecturis veritatem sufficiendam esse putant, permultum hic desiderant, quod πληροφοριαν gignere possit. DAUIDE M quidem regem maximam eorum confecisse partem, dubitari nequit, vnde quoque factum est, vt huic præclarissimo regi, communis nomine & ab ecclesia Judaica & christiana, adscripti fuerint. Præterea tamen & aliorum virorum, diuinitus auctorum, fit mentio, qui carmina sacra confecisse dicuntur, in quibus præ ceteris eminet ASSAPHUS, princeps cantorum Daudis, HEMAN & JEDUTHUN, (d) quos tamen alii, non tam psalmos confecisse, quam numeros modosque composuisse, putant. Verum HISKIAS, religionem Judæorum collapsam restituens, carmina DAUIDIS & ASSAPHI coniunctim canenda præcipit. (e) Quorsum hæc dico? vt intelligatur, carmina ASSAPHI aliorumque, quicunque fuerint, Θεοπνευστων æque cultui publico adhibita fuisse, ac DAUIDIS, præsertim cum idem ille ASSAPHUS præclarissima prophetæ compellatione ornatur. Diuersa loquendi ratio in multis diuinorum carminum obuia, diuersitatem auctorum ac temporum arguit, adeo, vt, qui rem adcuratius penitusauerit, sine ullo negotio, psalmorum aliquos ante DAUIDEM, aliquos illius ætate, vel ab ipso, vel aliis viris diuinis, aliquos a viris Θεοπνευστοις ætate eius recentioribus, fuisse confessos, intelligat. Omnia hæc a viris diuinis profecta carmina, cum ad sacros usus destinata fuerunt, alia aliis temporibus, libris, quos Judaica ecclesia diuinos agnouit, adnumerata fuerunt, donec tandem omnes, quotquot a Deo ad canonem constitendum delimitati fuerunt, in unum corpus redigerentur. Mira sane, vt in aliis rebus, ita & hic est interpretum discrepantia, sæpe alia omnia ad ingenii sui modulum metientium. Jam ante captiuitatem Babylonicam, qui inter Ebræos pietati ac religioni studebant, horum librorum omnium, licet, si legem MOSIS excipias, per pauca, tamen aliqua exempla, sibi describenda curasse, ex iis, quæ ante diximus, patet. Hac re, quisquis ille fuerit, qui hæc scripta iunctim edidit, impiedebatur, quominus aliquod spurium aut fictum subiucere potuisset, quin eius fraus statim innotesceret. Per septuaginta illos annos, quibus gens

B 3

Juda-

(d) 1 Paralip. XXVI. 1.

(e) 2 Paralip. XXIX. 30.

Judæorum summis in terra peregrina adficta fuit miseriis, non defuerunt viri, a Deo missi, qui voluntatis eius nuncii, ab ipsius spiritu acti fuere. Aderant JEREMIAS, DANIEL, EZECHIEL, a quibus reliqua turba satis edoceri potuit, qui sint characteres libri a Deo profecti. Hæc eum in finem præmisimus, vt illis, qui, cum collectionem librorum diuinorum in vnum corpus ab homine factam esse dicimus, auctoritatem canonis humano arbitrio niti, putant, omnem cauillandi materiam præcidamus. Variæ hac de re circumferuntur eruditorum sententiæ. Sunt, qui librorum sacrorum collectionem viris synagogæ magnæ, hoc est, collegio CXX virorum, cuius præses ESRA, ac inter præcipios adseffores HAGÆUS, ZACHARIAS, MALACHIAS habetur, tribuendam esse putant. Hanc sententiam plerique Judæorum, nec pauci Christianorum tuentur. Minus tamen ea sese probauit, RICH. SIMONIO, qui & ingenio luxurianti nimis indulgens, & dubitandi de auctoritate fontium occasionem citra necessitatem adripiens, quæcumque de illa synagoga iæstentur, sibi adeo incerta esse adfirmat, vt ea quoque, quæ de concinnato ab ipsa Scripturæ corpore, dubia sibi & incerta videantur; potius hanc operam, sine vlo antiquitatis Judaicæ testimonio, in homines incognitos nulliusque dignitatis, transferre conatur, eosque scripta sacra in lucem emissee ait, addendo iis, aut detrahendo, prout e republica esse censuissent. (f) Alii priuatim piisque hominibus collectionem librorum sacrorum tribuunt, qui ad priuatam eos lectionem adhibuerint, donec succedente tempore principes synagogarum eos vna cum libro legis publice prælegendos statuissent. (g) Qui ex vtraque parte pericula euitare volunt, media incedunt via, nec priorem quidem illam sententiam, vt antiquitate, ita ad seclarum copia, alias facile superantem, prorsus reiciunt, nec totam amplectuntur. ESRA M confitentur, disiecta, vt in publica clade, librorum sacrorum monumenta collegisse, adcurate dijudicasse ac recensuisse, suis etiam scriptis Θεοπνευσοις auxisse, vt præ millenis aliis scriba in lege Dei doctissimus vocaretur, humanis porro non modo subsidiis omnibus instructum fuisse, vt æquales & profunda doctrina, & priscorum codicum usu superauerit, sed diuini etiam Spiritus adflatu abundantissime doctum, quidquid ad adfun-

(f) in *Historia critica Vt. Test.* pag. 48. edit. latinæ.

(g) vid. WOLFFII *bibliotheca Ebraica* P. II. pag. 4.

fundendam sacris litteris lucem pertinuerit, diuite vena depromissæ; sed non omnia ab ESRÆ constitui posse putant, post cuius tempora NEHEMIAS & MALACHIAS, diuino spiritu acti, ad populum verba fecissent. (b) Ast rem adcuratius consideranti, omnis dubitatio euanescat. Scripta enim diuina singula iam ante ab ecclesia Judaica agnita fuerunt, signis diuinæ originis in quodlibet eorum congruentibus. ESRÆ hinc nihil aliud erat agendum, quam vt eadem scripta aut e primis ac authenticis exemplaribus, si qua haberi poterant, describeret, aut certe aliis optimæ notæ codicibus vteretur, eosque denuo protraheret, populoque commendari curaret. Post eum NEHEMIAS & MALACHIAS eiusdem rei curam gesserunt, & hic inprimis, addita sua vaticinatione, nullum alium prophetam, quam JOHANNEM, quem ELIÆ nomine indicari notum est, venturum esse edixit; quo ipso codicem Veteris Testamenti ad vmbilicum perduxit. Dicine ergo potest, corpus librorum sacrorum auctoritate niti humana?

§. IV.

Libros ita sanctiores in vnum corpus collectos, omni industria conseruarunt prisci Judæi, nec quidquam ex iis detrahere, neue in iis mutare, neue addere ausi sunt. Hinc PAULLUS Apostolus summo eos mactat elogio, οτι επισευθοσαν τα λογια τω Θεω. (i) Accesserunt Maſorethæ, nulli labore parcentes, quin descriptos codices sartos atque incolumes conservarent, & quamuis eorum opera hodie perquam mutilata & corrupta adpareant, argumento tamen sunt, summo olim incubuisse studio Judæos, ne quid

(b) WOLFFIUS 1. c. cui adde FRICKIUM de cura veteris ecclesiæ circa canonom Scripturæ pag. 6. sq.

(i) Rom. III. 2. Falluntur ergo, qui non tam de libris, quam de doctrina & rebus per reuelationem patefactis, loqui PAULLUM autuunt. Eloquia Dei a PAULO describuntur, vt depositum, quo quidem frui Judæi poterant, sed tamen meminisse debeant, se esse capsarios Dei, quo nomine AUGUSTINUS eos compellat, inquiens: quid est aliud hodieque gens Judæorum, nisi quadam scrinaria Christianorum, baiulans legem & prophetas, ad testimonium assertionis ecclesiæ. Op. Tom. VIII, pag. 170.

quid e libris diuinis periret aut mutareretur. Idque in isto rerum statu, in quem haud multo post captiuitatem Babylonicam inciderant Judæi, nefesarium fuit. Notæ enim sunt, quibus a regibus Syriæ adfligebantur, miseriæ, qui non eo contenti fuerunt, vt in fines Judæorum imperu facto, homines pecudesque prædam agerent, sed ipsum religionis cultum extorquere conati sunt, cuius rei Maccabæorum historia quamplurima profert testimonia. Plura vero iam e codice ab ESRA concinnato descripta fuerunt exempla, Judæorum aliis in Palaestina, aliis in Ægypto, aliis alibi commorantibus, quorum omnium intererat, scripta diuina integra & genuina habere, iisque aut ad publicum, aut priuatum Dei cultum vti. Magna vero Judæos oppressit calamitas, cum linguam, quam ante locuti fuerant, vernaculam, Ebræam dico, dedisserent, aliamque in eius locum adhiberent: obscurum enim non est, populum vietorem vieto dedisse linguam. Hinc noua orta est inter Judæos dialectus, quam Chaldaicam, siue Aramaicam vocant; inde maior quoque nata est necessitas, in describendis libris sacris omnem adhibendi diligentiam, vt omnia sincere ac integre describerentur. Scribendi igitur hoc negotium ad solos eruditos transiit, quos præter cætera adcuratam linguæ deperditæ notitiam sibi acquisuisse, omniaque in subsidium adhibuisse, constat, quibus legis describenda & interpretanda studium adiuuaretur. Prælectioni quidem in lingua primæua retentæ, addebat versiones, vt & plebi indoctæ præceptorum diuinorum pateceret sensus. Non sine insigni ergo prouidentiæ diuinæ testificatione factum est, vt, cum adpropinquante tempore, quod Deus aduentui Messiae destinarat, Judæi in plures alias terras commigrarent, libri quoque sacri cum iis in plures regiones peruenissent, multisque hominibus inde occasio nasceretur, quæ in illis de humani generis redemptore traduntur, accipiendi. Vbicunque igitur Judæi habitabant, ibi prostabant librorum sacrorum απογεαφα. De tribus potissimum codicibus loquuntur Talmudici, qui in atrio templi Hierosolymitani inuenti dicebantur, quos L I G H T F O O T U S triplici Judæorum cœtu, in Judæa scilicet, Babylonia & Ægypto, respondisse, ait. (k) Præter hos insignis auctoritatis codices, alii nominantur, qui ab antiquioribus Judæis summis laudibus ornantur, quorumque Cel. WOLFFIUS probabilem

sup-

(k) LIGHTFOOTI Operum Tom. II. pag. 284.

suppeditat notitiam. (l) Ex his igitur fontibus, procedente tempore, tot exempla descripta sunt, vt nulla fuerit Synagoga, quæ non suos habuerit codices, cuius rei apud Nazarenos insigne editum est specimen. (m) Putat quidem KENICOTIUS, vt Pentateucho Samaritano maiorem conciliaret auctoritatem, codicem Ebraicum quatuor illis seculis, quæ ab ESRA ad CHRISTUM decurrerunt, ab ipsis Judæis multas mutationes passum fuisse; (n) sed cum e silentio Christi, qui certissime non defuturus fuisset, quin Judæos tantæ vel prauitatis, vel oscitantia arguisset, tum ex collatione textus Ebraici cum antiquissimis, quæ hodie adhuc supersunt, versionibus caute instituenda, abunde patet, Judæos hac in re esse insolentes, licet non negemus, in quædam exemplaria vitia irrepsisse, quæ vero universam corruptionem æque minus adstruunt, quam ex sphalmatis typographicis, quæ typothetarum negligentia accidunt, omnes ejusdem libri, diuersis temporibus locisque repetitas editiones, eodem vito laborare, dici potest. Cum igitur multoties descriptis libris sacris, in multisque regionibus, vbi Judæi versabantur, lectis, veritates iis complexæ ad multorum notitiam peruenierunt, nullus admirationi locus est, cur apud profanos quoque scriptores lecti codicis vestigia appareant; qua de re multi multorum prostant scripta, sententiam suam haud raro nimis longe extendentium. Qui igitur his libris describendis operam dederunt, eos aut opulentioribus vendiderunt, aut ex ærario laboris mercede accepta, in publicos vñus contulerunt. Quamuis autem Judæi inter se iam a priscis inde temporibus libros sacros emendos vendendosque esse consenserunt, sedulo tamen cauerunt, ne in manus peregrinorum peruenirent, quod tamen non semper prohibere poterant. (o) Miramur igitur diuinam pruiden-

C

uiden-

(l) Libro iam aliquoties nominato Tom. II. pag. 289. sqq.

(m) Luc. IV. 20.

(n) in dissertatione secunda *super ratione textus Ebraici*, cap. 4. quod Ebraici textus historiam complectitur, pag. 300. sqq. versionis Tellerianæ.

(o) Judæi, qui nullum gustum græcarum litterarum perceperunt, a versione Bibliorum græca alienissimi fuerunt. Certe in Tractatu Talmudico, Massechet Sopherim queruntur: dies illa, qua lex conuersa est, grauis fuit Israëli, sicut dies ille, quo vitulus aureus est conflatus, quia fieri non poterat, vt omnia in lege, prout par erat, transfferrentur. vid. FRISCHMUTHI diff. de græca LXX interpretum versione §. 18. Quod vero odium ex eo potius tempore deriuari potest, quo Christiani versione Alexandrina contra Judæos vtebantur.

uidentiam, quæ insignia hæc *κειμηλία*, quibus omnis religionis nostræ veritas nicitur, non solum integra conseruauit, sed Judæos etiam, acerrimos religionis nostræ hostes, tantam in libros sacros impendere curam voluit, vt ne Jota quidem, *ναι μηρα νεραία* periret, quo ipsi Judæi inuiti religionem nostram contra Naturalistarum insultus defendere coguntur. Quodsi præter scripta Rabbinorum, Josephum, celebrem illum antiquitatum Judaicarum scriptorem, audiuerimus, eadem suo tempore sacrorum librorum fuit conditio, quæ hodie est, eosdemque ille libros nominat, quos cum ecclesia christiana & Judæi hodie diuinos agnoscunt. (p) Adsunt præterea versiones antiquissimis temporibus confecta, quæ non parum ad eam euidentiae criticæ partem, quam hic tractamus, conferunt. Omnia, quæ vñquam prodierunt, librorum Veteris Testamenti versionum, græca, quam vulgato nomine LXX interpretum vocant, sine dubio est antiquissima: non enim verosimile videtur, ante captiuitatem Babylonicam quenquam arduum hoc translationis opus tentasse, cum Ebræi cum Græcis nihil, cum aliis gentibus parum negotii haberent. Tanta autem ea omni tempore polluit auctoritate, vt Judæi Ebraice linguæ rudes atque insciæ, græce vero loquentes, eandem in synagogis suis usurpauerint, (q) & Christus cum Apostolis multa Veteris Testimenti loca ex eadem adlegauerit. Huius versionis historiam intactam relinquemus, cum, quæ de illa in ARISTEA, PHILON & JOSEPHO, aliisque veteribus leguntur, adeo incredibilia & repugnantia sunt, vt nec cum cæteris veterum historiarum monumentis, nec cum temporibus moribusque PTOLOMÆI, quo regnante ea confecta fuisse dicitur, nec cum institutis gentium, facile possint conciliari. Sufficit nobis, a quibusunque demum viris ea confecta fuerit, eam insigne euidentiae criticæ esse adiumentum, dignamque, quæ maiori studio, quam plerumque fieri videmus, a theologiæ studiosis legatur, re-legaturque. Nec vero in eo consentiunt rerum antiquarum scriptores, vtrum solus Pentateuchus, an vniuersi libri Veteris Testamenti eodem tempore in linguam græcam translati fuerint; alium enim librum alio adcurius esse translatum, quiuis vel mediocri vtriusque linguæ notitia instructus intelligere potest. Sed cum nec probabile sit, vnum hominem huic operi parem

(p) Libr. I. contra Appiensem.

(q) vid. Joh. Henr. MICHAELIS dissertatio de usu LXX interpretum. pag. 4.

parem fuisse, nec omnes in vna sectione & libro vertendo laborasse, sed potius opus inter se diuisisse; inde diuerstatem stili, qua potissimum, qui non omnes vno tempore translatos fuisse libros biblicos putant, nituntur, natam fuisse, intelligitur. Varius quidem huius versionis usus esse potest, partim in determinanda vocum Ebraicarum significatione, partim in diiudicandis variantibus lectionibus, qua de re alio loco disputabitur. Hic tamen tantum eo fine eius mentionem fecimus, ut libros Veteris Testamenti, qui hodie perhibentur, eosdem esse, quos antiquior ecclesia agnouit, euincamus. Quanquam enim in quibusdam vocibus aliquam discrepantium animaduertamus; inde solummodo colligi potest, eam nec pluris, nec minoris habendam esse, quam quamlibet versionem, ingenio humano profectam. Si a næuis, quos parum cauit humana interpretum natura, aut incuria fudit, discesseris; summatim colligere licet, aliquot seculis ante Christum natum libris Judæorum in linguam græcam translati, in quibus summa, quæ in versione humana desiderari potest, adparat cum textu Ebraico conuenientia, ne minimam quidem adesse veritatis speciem, eos aut fuisse suppositos aut corruptos, sed potius ab exemplari bus, quæ multa tunc temporis adesse debebant, versionem hanc cum sinceritate esse confessam.

Dicendum nunc est, cuius caussa tabula hæc suspensa est. Craftino die horis pomeridianis, solemnia nostra scholaistica, quæ lustratione singularem Gymnasii classium continentur, peragenda sunt; quæ vt BENIGNISIMI PATRIÆ PATRES, CLEMENTISSIMI Gymnasii NUTRITORES, Venerandi Consistorii DIRECTOR & ASSESORES SPECTATISSIMI, SUMME ac PLURIMUM VENERANDI facrorum antistites, CONSULTISSIMI Jurium, & EXPERIENTISSIMI artis medicæ DOCTORES, ac omnes præterea liberalioris doctrinæ cultores & patroni, honorifica præsentia sua condecorare velint, omni animi submissione & pietate oro rogoque.

Primus ipse ex cathedra superiore, actum oratione latina, *de homine sui seruo, auspicabor.*

Deinde

Deinde ex cathedra inferiore, JONAS MINNER, *Francofurtenis*, Exemptus, chori minoris *Præficius*, quem probitas & descendit studium omnibus commendatissimum reddunt, de vanitate *præfigiorum*, quæ ex animalium omnibus, præcipue vero apum examine, vulgo captatur, latine verba faciet.

Post lustratio scholastica instituetur, vbi ex singulis classibus, si primam excipias, bini prodibunt iuuenes, egregiam sui spem facientes, omnes nostrates, qui BENIGNISSIMORUM Gymnasi NUTRITORUM munificentiam grata mente deprædicabunt. Nomina eorum sunt, quæ sequuntur.

Ex prima Classe: JAC. LUDOVICUS PASSAVANT.

Ex secunda Classe: JOANNES BALTHASAR HEUSON.
JOANNES OTTO.

Ex tertia Classe: JO. JACOBUS MYLIUS.
JO. JACOBUS ROEMER.

Ex quarta Classe: JO. ANSELMUS FLÜERBACH.
PHILIPPUS CAROLUS ZILCHER.

Ex quinta Classe: JO. PHILIPPUS KINDGENHEIMER.
JO. GODOFREDUS LANGER.

Ex sexta Classe: PHILIPPUS JACOBUS PURMANN.
GODOFREDUS MANNERT.

Tandem toti aetui finem impositurus, cathedram conscendet inferiorem, JOANNES ANTONIUS MEIXNER, *Francofurtenis*, Exemptus, chori minoris *Calefactor*, qui diligentia & moribus bene compositis se nobis semper probauit; is oratione latina, de iis, quæ Archytas Tarentino iudice ad institutionem iuuentutis omne momentum faciant, Auditoribus gratias aget.

P. P. Francofurti ad Mœnum, a. d. XII. Calend. Maii. A. O. R. M DCC LXVIII.

Jc 335

Vol 18

ULB Halle
003 928 160

3




56.



Vol 17

26

B.I.G.



PROLUSIO SECUNDA^{an 1}
DE
EVIDENTIA CRITICA
AD SACRAS LITTERAS REFERENDA

QUA
LUSTRATIONIS SCHOLASTICÆ
SOLEMNIA
JUSSU ET AUCTORITATE
VENERANDI CONSISTORII

A. D. XI. CAL. MAJI M D CCLXVIII.
HORA LOCOQUE CONSUETIS
PUBLICÉ CELEBRANDA,
EA, QUA DECET, OBSERVANTIA ET PIETATE
INDICIT
JOH. GEORGIUS PURMANNUS
GYMNASII RECTOR ADJUNCTUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM
EXCUDEBAT HENRICUS BAYHOFFER.

